

Deo nomen gloriosum: quod certe animi indicium est, nihil in Deo sentientis vel agnoscens, quod A non sit laude dignum. Tertio optat, ut non Iudaea solum, sed & omnis terra gloria illius repleatur. Hoc scilicet affectu prodit, quo animo omnia ista, quae hoc Psalmo audiuimus, filio ac regno ipsius appratus sit.

DE CHRISTO AC REGNO EIVS.

Ephes. 1:

Et hec omnia typum habent regni Christi. Quis enim Christo Rege regum felicior ac vivacior? Quis ampliore ac sinceriore subditorum ac fidelium fauore vnam potitus est? Quis maiorem, constantiorem, ac magis perpetuam laudem consequutus est? Cuius regis nomem ac memoriam diu- turniorem & ampliorem celebritatem obtinuit? Cuius regnum ampliore felicitatum cumulo flo- ruit vnam. Nam hic verum est, quod Apostolus dixit: Benedic Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benexit nos omnifaria benedictione in cœlestibus in Christo. An non hic est fru- menti cœlestis abundantia, quo ad æternam vitam satiamur? Hic scilicet est granum illud frumenti, quod in terram proiectum ac mortuum, fructu suo non tantum Palæstinæ colliculos, sed vniuersum Orbem replete. Hic est fœcunda illa agricultura Spiritus sancti, cuius Apostolus 1. Corinth. 1. me- minit. Hic sunt mirabilia Dei, quorum memoriam irremissam seruat Ecclesia: quæ nunquam cessat gloriosum Dei nomen, quo per Euangelij prædicationem, cooperante Spiritu sancto, repleta est omnis terra, deprædicare & extollere.

PSALMVS LXXIII.

PALMVS ASAPH.

ARGUMENTVM PSALMI.

Ad confirmandos in fide diuina & prouidentia piorum animos, quid sibi tentationis acciderit ex im- piorum prosperitate, hoc Psalmo Propheta canit: vt ei tentationi, quæ subinde credentibus nego- cium facit, occurrere doceat, prudenti consilio seipsum in exemplum adducit, vt in ipso quisque ad- moneatur, quid cauere, & quomodo in hac se tentatione gerere debeat.

Dispositio Psalmi.

Possunt huius Psalmi sex partes assignari: vt prima sit versu primo, qua diuine bonitatis erga pios asse- uerationem mox Psalmi initio premittit. Altera versu secundo & tertio, qua quid sibi acciderit, impiorum pacem videnti commemorat. Tertia versibus 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. qua prosperitatem & superbiam impiorum ponit. Quarta versibus 13. & 14. qua cogitationes suas, quas in ista tentatione habuerit, expo- nit. Quinta versibus 15. 16. 17. 18. 19. 20. qua ad se redit, & considerato impiorum fine causam hanc pe- nitiens expendit. Sexta versibus 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. qua prouidentiam Dei recolit, declaratam erga se, & rursus fidem suam ac spem erga Deum firmat.

VERS. L.



1. *ONVS est utiq; Israëli Deus, his qui mundo sunt corde.*
2. *Mei autem penè lapsi fuerant pedes, penè effusi fuerant gressus mei.*
3. *Quia zelo raptus sum contra insensatos, pacem impiorum videns.*
4. *Quod non sint ligamina ad mortem illis, & pingue est robur eorum.*
5. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur.*

LECTIO.

Vers. 4.

Quod non sunt ligamina.] Græcus & vulg. Lat. sic: Quia non est respectus mori eorum, & firmamentum in plaga eorum. Hieron. Quod non recognovit de morte sua, & firma sunt vestibula eorum. Iustinianus: Quoniam non sunt colligati de morte sua, & firma vestibula eorum. Felix: Quoniam non sunt ligamenta in morte eorum, quippe foris robustus. Sic & Pagninus: nisi quod legit: Et sana est foritudo eorum. Aquila sic primam huius versus partem legit: Non sunt anxii discruciatus morti eorum. Campen. sic: Tota enim vita non solum fortunata illis omnia fuerunt, sed & in morte illis accidere solet, vt ætate defici, sine longo cruciatu extinguantur, & palatia re- linquani regia hereditibus suis. Chaldaeus sic: Quoniam non terrentur nec conuertantur propter diem mortis eorum, & pingue & forte est cor eorum.

PRIMA PAR.

Vers. 1.
Bonus est
vbiq; Deus.Bonitatis
dictio.Israëli.
Bonitate Do-
mini plena
est.

Bonus est utiq; Israëli Deus.] Omnim certissimam yvñu Propheta quasi fundamenti loco, de Deo præmittit, admonens omnino firmiter de illo sentiendum esse, quod ijs qui puro sunt corde, bonus fit, quicquid vlla tentatio diuersi sensus ingerat. Habet autem ista yvñu certam diuinæ bonitatis non solum asseuerationem, sed & specificationem. Asseveratio est, quod dicit: Bonus est utiq; Deus Bonitatis dictio ita accipienda est de Deo, immo & de creaturis, vt benevolentiam & beneficentiam in vnum & communum aliorum includat. cuius oppositum est malitia, malevolentiam & studium maleficiendi complectens. Ista bonitas Dei totius prouidentiae illius, qua consulit mortali rebus, & omnia gubernat, fons & origo est, atq; adeo & fundamentum nostræ in illum fiducie.

Specificatio bonitatis huius est, quod addit, Israëli: id est, populo ipsius. Est enim duplex diuinæ bonitatis consideratio: vna, qua generaliter erga vniuersos mortales bonus est, tam malos quam bonos beneficijs suis afficiens. De hac illius bonitate Christus meminit Luc 6. cum dicit: Verum- tamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperates: & erit merces ve- stra multa, & eritis filii Altissimi. Quia ipse benignus est erga ingratos & malos. Et Matth. 5. dicit: "Qui solem suum producit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. De hac non loquitur isto versu Propheta. Altera est, qua singulariter bene vult populo suo, & ad illius veram & sempiter- nam